



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Idem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

uanda & exponenda per consilium eorumdem in fauorem fidei & ad hereticos extirpandos, non obstantem huiusmodi diuisioni statuto aliquo condito, vel condendo.

Pena violentum has constitutiones.

Si quis autem de cetero aliquod istorum statutorum seu constitutionum attentauerit delere, diminuerit, vel mutare sine auctoritate Sedis Apostolicę speciali, Potestas, Capitaneus, seu Consul, vel alius cuius Rectorem, qui pro tempore fuerit in illa Ciuitate vel loco teneantur eum tanquam defensores hereticorum publicum, & fauorem secundum formam prescriptam perpetuo publice infamare atque punire in libris Quinquaginta Prouenient. in pecunia numerata: quam si exigere non poterit, eum maleficij banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi soluerit duplam dictę pecunię quantitatem.

Magistratus seculares syndicentur.

Teneatur sanę potestas siue Capitaneus, Consul, seu cuius Rectorem infra decem dies sui regiminis syndicare precedentem proximo Potestatem, Capitaneum, Consulem, vel Rectorem, & eius etiam assessores per tres viros Catholicos & fideles, quos eligant vnę cum diocęsan. fratres Prędicatores & Minores a suis Priore & Guardiano pariter assignati de omnibus his, quę in statutis istis seu constitutionibus & legibus contra hereticos & eorum complices editis continentur, & punire ipsos si excoeliserint in omnibus & singulis quę omiserint, & cogere restituere de propria facultate: Non obstante si per aliquam licentiam consilij vel alterius cuiuslibet a syndicatione fuerint absoluti.

Statuta his constitutionibus aduersa delectantur.

Iurabunt autem prædicti tres viri bona fide syndicare præfatos de omnibus supradictis. Ceterum teneatur Potestas, siue Capitaneus, Consul, aut cuius rector cuiuslibet Ciuitatis, vel loci delere, seu abradere penitus de statutis, & Capitularibus Communis quodcumque statutum conditum, vel condendum inueniatur contradicere istis constitutionibus, seu statutis, & legibus, siue quomodolibet obuiare, & in principio, & in medio sui regiminis hæc statuta, seu constitutiones, & leges in publica concione facere solenniter recitari: Et etiam in alijs locis extra Ciuitatem suam, seu locum sicut diocęsan. seu inquisitoribus, siue inquisitori, & fratribus supradictis videbitur expedire.

Constitutiones istę qualiter scribendę, vt conferrentur.

Porro hæc omnia statuta, seu constitutiones, & leges, & si quę alię contra hereticos, & eorum complices tempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicę conderentur in quatuor voluminibus vnus tenoris debeant contineri. Quorum vnum sit in statuto Communis cuiuslibet Ciuitatis, seu loci; Secundum apud diocęsan. Tertium apud fratres Prędicatores: Quartum apud fratres Minores cum omni sinceritate seruentur, ne possint per falsarios in aliquo violati, Datum Anagninę ij. Kalen. Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

I D E M.

Inquisitores hereticę prauitatis cogere possunt magistratus seculares quocumque nomine censeantur, per excommunicationem in personas, ac priuationem ab officijs, & interdictionem in terras, vt sublato omni dilationis, & difficultatis obstaculo, appellatione remota, executioni mandent sententias ab Inquisitoribus latis, & ferendas contra notatos, & suspectos de hereticę prauitate, credentes, fautores, & receptatores eorum: non obstante quacumque Indulg. Sedis Apostolicę, per quam hoc decretum impediri possit, aut differri.

Eiusdem tenoris vidimus aliud rescriptum eiusdem Alexandri iij. Datum Lateran. Idibus Decembris, Pontificatus sui Anno Sexto.

Edita anno Domini 1260.



ALEXANDER. Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs fratribus de ordine Minorum, inquisitoribus hereticę prauitatis in Prouincia beati Francisci, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Archivio cõuentus S. Francisci de Assisio.

Ad audientiam nostram peruenit, quod Potestates, Rectores, Iudices, Antiani, Officialis, Consilia, & communitates, quorundam castrorum, locorum & ciuitatum Prouincię Beati Francisci, in qua inquisitio contra hereticos vobis a Sede Apostolica est commissa, circa executiones sententiarum, quas contra notatos, & suspectos de hereticę prauitate, credentes, fautores, & receptatores eorum profertis, a vobis super hoc requisiti, se interdum reddunt difficiles, & etiam negligentes: Nos itaque volentes quod negotium inquisitionis huiusmodi salutarem consequatur effectum, circa ea intendimus animo vigilanti, per quę submotis quibuslibet obstaculis, prædictum negotium Deo propitio de bono in melius dirigatur. Quocirca vniuersitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus Potestates, Rectores, Iudices, Antianos, officiales quocumque nomine censeantur, consilia & communitates prædicta, quod huiusmodi sententias a vobis latis, & ferendas etiam sublato cuiuslibet dilationis, & difficultatis obstaculo executioni demandent, monitione præmissa per excommunicationis in personas Potestatum, Rectorum, Iudicum, Antianorum, officialium, & consiliariorum, ac priuationis ab officijs, & in ciuitates, castra, & loca huiusmodi interdicti sententias, appellatione remota cogatis: Non obstante aliqua Indulgentia Sedis Apostolicę, de qua cuiusque tenore oporteat in nostris litteris plenam, & expressam mentionem fieri, & per quam effectus præsentium impediri valeat, vel differri. Datum Anagninę xij. Kalen. Februarij, Pontificatus nostri anno sexto.

Confert omnino rescriptum Innocentij viij. incip. Dilectus filius, relatum supra.

De Curia.

I D E M.

Inquisitores per censurę ecclesiasticę, appellatione remota, inuocato si opus fuerit auxilio seculari per executionem.

Exactionem pœnarum cogere possunt eos, qui cum redirent ad Ecclesiam se obligauerunt sub certis pœnis ad parendum mandatis Ecclesiæ: idem faciant contra fideiussores eorum.

Eiusdem tenoris extat aliud rescriptum Alexandri. iij. datum Lateran. iij. Idus Decemb. Pontificatus sui Anno Sexto, quod nos vidimus authenticum.



ALXANDER Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis fratribus de ordine Minorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in administratione Beati Francisci, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Domini 1260.

AD audientiam nostram peruenit, quod nonnulli de administratione B. Francisci notati, & suspecti de hæretica prauitate, ac fautores, & receptatores hæreticorum, ad mandatum Ecclesiæ redeuntes, interdum se obligant sub certis pœnis, ad parendum mandatis Ecclesiæ, & super hoc præstant vobis fideiussorias cautiones, quorum nonnulli mandatis quæ ipsis faciatis, parere recusant. Quia vero nostri decet appositione consilij super hoc salubriter provideri, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tales, & fideiussores eorum, quod mandatis factis eis per vos, & faciendis pareant monitione præmissa, per impositionem, & exactionem pœnarum, ad quæ se obligant, & etiam per censuram Ecclesiasticam appellatione remota cogatis: inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Dat. Anagninæ x. Kal. Febr. Pontificatus nostri anno sexto.

Ex Archiuo cõuentus S. Francisci de Assisio.

Conferunt rescripta Inno. IIII incip. cum venerabilis, & Cũ per nostras relata supra.

I D E M.

Valde elegans est rescriptum hoc, quo non mediocriter illustratur c. Vt commissi. de hæret. lib. 6. & alia iuris loca de hæreticis loquentia. Idem extat in Archiuo inquisitionis Bononiensis transmissum fratribus Dominicanis: sed hoc copiosius est.

Summa eius est: Inquisitores per censuram Ecclesiasticam appellatione remota cõpellunt edi sibi quælibet instrumenta, & scripturas inquisitionis factæ, vel faciendæ contra hæreticos, & alios in fidem peccantes, aut alias ad sacrum officium spectantia: redeuntes ad Ecclesiam obsoluunt, eosq; reconciliant ei, à qua fuerunt præcisi: populum & clerum conuocant contra tales: in ferendis sententijs peritos aduocant: dierum quadraginta indulgentiam conferunt: contra absentes procedunt, qui in sua prouincia deliquerunt: simpliciter, & de plano procedunt: contra adictores cõpescunt per censuram Ecclesiasticam: nulla priuilegia in contrarium alicui concessa quicquam iuuant.



ALXANDER Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis . . . fratribus de ordine Minorum, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in administratione Sancti Francisci, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Domini 1260.

CVPIENTES, vt Inquisitionis negotium contra hæreticam prauitatem sollicitudini nostræ commissum, ad Dei gloriam, & augmentum fidei Catholicæ, in nostris manibus feliciter prosperetur: compellendi appellatione remota per censuram ecclesiasticam, per vos, vel per alios, quos ad hoc idoneos vos, vel alter vestrum duxeritis eligendos omnes illos, qui scripta, vel instrumenta Inquisitionis, vel ad eius officium pertinentia, per quoscumque hætenus factæ, ac etiam faciendæ contra hæreticos, credentes, receptatores, seu defensores eorum habent, vel habuerunt, vt ea sine cuiuslibet difficultatis, seu dilationis dispendio, vobis vel alteri vestrum exhibeant: necnon absoluendi à sententia excommunicationis omnes illos, qui dimissa hæreticorum perfidia ad unitatem Catholicæ fidei libere, ac humiliter redire voluerint, & credentes, receptatores, fautores, ac defensores eorum: ac etiam reconciliandi eos Ecclesiæ, à qua noseuntur diabolica subgestione præcisi. Conuocandique clerum, & populum ciuitatum, castrorum, aliorumque locorum contra tales: ita vt in ferendis sententijs contra ipsos possitis peritos, & discretos, prout expedierit, aduocare. Dandi quoque omnibus accedentibus, ad vocationem huiusmodi auctoritate nostra quadraginta dierum indulgentiam. Procedendi etiam contra illos, quos in dicta Prouincia commisisse constiterit, licet ad alias partes se duxerint transferendos, necnon, & vt in eodem negotio summarie, absque iudiciorum, & aduocatorum strepitu procedere valeatis, auctoritate præsentium vobis, & cuiuslibet vestrum concedimus facultatem. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita cõpescendo. Non obstantibus si aliquibus sit indultum ab eadem sede, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas; nisi plenam & expressam, vel de verbo ad verbum fecerint mentionem: & constitutione de duabus diebus edita in Concilio generali. Dat. Anagninæ iij. No. Martij, Pontificatus nostri anno sexto.

Ex Archiuo cõuentus S. Francisci de Assisio.

G. de Merc.

I D E M.

Omnes prælati ecclesiarum, & clerici religiosi & seculares, tam exempti quam non exempti, requisiti per

C 2 Inqui-